Z d
1451

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-90106-p0001-1

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-90106-p0002-7

QK. 308
v. Oppel
7
5333
Z d 1451

ORATIO FUNEBRIS
ILLUSTRI VIRO,
JOHANNI GEORGIO
OPPELIO,

IN LOMNIZ, GOSDA, SUPERIORI AC INFERIORI LICHTENAVIA, LAMPERS ET VVELLERSWALDIA &c. TOPARCHÆ,

CÆSAREI PALATII COMITI, S. IMP. ROM. EXEMPTO, SERENISS. ELECT. SAXON. IN CONSILIO SANCTIORE SENATORI,

ET

REI CENSUALIS PRÆFECTO, &c.

IN ACADEMIA VVITTEBERGENSI
DICTA PUBLICE,
A
GEORGIO CASPARE KIRCHMAJERO,
Orat. P. P.

UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK HALLE (SAALE)

MENS. APRILI,
ANNO CIƆ DC. LXII.
In
AUDITORIO MAJORE.

BIBLIOTHECA PONICKAVIANA

Typis JOBI VVILHELMI FINCELII.

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-90106-p0003-2

Rector
ACADEMIÆ WITTEBERGENSIS,

CONRADUS VICTOR SCHNEIDER, Phil. ac Med. Doct. Prof. Publ. & Celſiſſimorum Principp. Anhaltin. Archiater,

CIVIBUS ACADEMICIS. S. D.

VErtitur jam nonum ultra menſem, inauſpicatus Saxoniæ Miſniæque dies, qvi Generoſum & multis maximè meritis Illuſtrem VIRUM, Dominum JOHANNEM GEORGIUM ab OPPEL, *in Lomniz, Goſda, ſuperiori ac inferiori Lichtenaviâ, Lampers- & Wellersvvaldiâ*, &c. *Toparcham*, Cæſarei Palatii Comitem, S. Imp. Rom. Exemptum, Sereniſſimiqve ELECT. SAXON. in Conſilio ſanctiore Senatorem, & rei cenſualis Præfectum, abſtulit proh dolor! ac incomparabile, propter tot exqviſitiſſimas virtutes (qvæ cum OPPELIO nunc tumulatæ jacent) deſiderium omnibus ingeneravit. Cui cùm Saxonia inprimis, & hæc noſtra qvoqve Academia, qvam ille præſentiâ condecorârat ſuâ olim, honoris omnigeni ac gratitudinis officia debuerit, plura tamen inpoſterum debere ſe profitebatur; ſi prolixiùs debendi nomina multiplicare potuiſſet. Nunc ubi optare talia, ſperare haud fas unqvam eſt, qvod Virorum alioqvin optimorum eſt, agemus pro virili: nec, qvantumvis oneroſiorem humeris detrectabimus neceſſitudinem dicendi, qvam eorum qvidem, qvi impe-

rare poterant, auctoritas benigniter impoſuit. Neq; verò ſerotinum nimis habendum qvaliscunqve pietatis munus, qvod mœror contumax attonuit huc usqve ac ſufflaminavit. Delituerat aliqvantiſper, ut prodiret efficacior affectus: & collecto velut ſpiritu acerbiùs doleret, qvicqvid bonorum in OPPELIO amiſſum eſt. Peropportunâ igitur motus pietate Clariſſimus VIR, GEORGIUS CASPAR KIRCHMAIERUS, Phil. LLq; AA. M. atqve Eloqventiæ Profeſſor publicus, Collega noſter perdilectus, pro roſtris publicè deinceps, finitis ritè ſacris pomeridianis, poſt II. campanæ pulſum OPPELII, in auditorio majore recitabit & laudes & virtutes; qvas, cùm in vivis Magnificus SENATOR eſſet, inter rariſſimos poſſeſſores excellentiſſimè obtinuit. Exponet autem omnem liberè cauſſam, Heroïcæqve mentis argumenta, qvibus ſummâ fide Sereniſſimam Domum hanc Saxonicam, ad extrema uſqve proſecutus ſanctiſſimè Ille fuit, ſiſtet. Haud veritus, Pomponio Attico, excelſæ dignationis Eqviti Romano (qvo cum comparabit Ipſum) vel æqvare OPPELIUM, vel anteponere. Veſtrum, CIVES ACADEMICI, eſt, acroaſi prolixisſimâ ſolennem hunc ornare actum, & exemplo diſcere, qvid memorabile Spartanorum lemma indigitârit olim, qvo ad majorum æmulationem, juveniles animos exſtimulabant: SI. FUERITIS. SICUT. ISTI. ERITIS. SICUT. ISTI. P. P. FERIA II. PASCHALI anno recuperatæ gratiæ CIↃ DC LXII.

RECTOR

RECTOR MAGNIFICE,

PRÆ-ILLUSTRIS ac GENEROSISSIME LIB. BARO,

VIRI

Plurimùm Reverendi, Conſultiſſimi, Experientiſſimi, Excellentiſſimi, Ampliſſimi, Clariſſimi,

PATRES Academiæ ac CONSCRIPTI,

Tuq; STUDIOSORUM nobiliſſima florentiſſimaq; concio;

SIcut qvi terrarum mariumq; tractûs peragrare viatores deſtinant, cum inuſitatæ vehementiæ coorta tempeſtas eſt, & inter miſſiles ignes, grandinumq; ac fulgurum jactûs, impetuoſior imbribus immiſtus turbo qvatit omnia & proſternit, intra certa ſe latibula tantiſper continent exterriti, dum & ſerenior affulgeat lux iterum, & peſſundatæ recolligantur vires ac convaſentur velut; Ita nemo vel culpæ, AUDITORES, vel deſidiæ interpretetur mihi, qvi lugubri attonitus huc usq; nuntio, morte ſcilicet Illuſtris ac Generoſi Domini, JOHANNIS GEORGII OPPELII, propter & vulneris & funeris atrocitatem, viribus dejectus univerſis, debitæ pietatis diſtuli officium, ut ad ſpem ſideris clarioris excitatior reſurgerem. Latet interdum mœſtitudo impotens, & inter altisſima ſilentia ſepultus dolor, pertinaciter ſecum diſceptat tamen; qvi ubi forâs prodit, torrentem imitatus, qvâ-tandem-cunq; poteſt, erumpit viâ: nec tam temporis curat opportunitatẽ, qvàm triſtitiæ lenimenta reſpicit. Celebrent proinde alii ac memorent natales emortualesvê Heroum ablatorum dies; alii alias ſectentur cauſſas: mihi lux certè præſens, nomini OPPELIANO conſecrãda venit. Hæc enimverò eſt, qvæ TITUM POMPONIUM olim ATTICUM, Virum,

ſi ſtemma æſtimes, eqveſtris, ab ultimâ origine Romanorum dignitatis; ſi auctoritatem, venerationis ſummæ, & non Ciceronis ſolummodò, ſed Principum qvoq; Antonij nimirum, & Cæſaris, inter familiariſſimos amicum, placidiſſimæ mortis genere, grandævum ſenem, mortali ſpacio abſolvit. Huic ſi vel parem, vel ſuperiorem OPPELIUM eſſe demonſtravero; (contendam enim cum altero alterum, Plutarchi jure, qvem cum Annibale Scipionẽ, & cum Perſeo Romulũ contuliſſe novimus:) ecqvid aliud conabor qvæſo, qvàm humeris impar onus ſuſtinere? ut qvi dicendo antea ne cum minimis quidem comparandus ſum; tantum abeſt, ut elaborati qvid, ac Sapientum choro dignum abs me, præter infantiam, ſperari poſſit. Qvanqvàm vix illud eqvidem verebor, qvod imperitus nimis videar, aut inidoneus fortaſſis, cùm Numen ipſum, non tam accuratis adorantium precibus, qvàm innocentia venerantis, ſanctitateq; lætari, gratioremq; exiſtimari animadvertamus, qui puram caſtamq; mentem, qvàm qvi meditatum diu carmen (ut de Principum optimo Trajano panegyriſta loqvitur) attulerit. Quod dũ facere allaboro, Divos OPPELII teſtor Manes ac obteſtor, ut qvicqvid pij farris, aut molæ ſalſæ litari à cliente poteſt, eâ mentis capiatur æqvanimitate, quà, qvi libamentum fert, accedit. Breve ac ſimplex encomium OPPELIANA virtus amat; quoniam, qvæ æqvare gloriam ipſius poſſint, nuſpiam inveniuntur.

Ac ut inde orationis initia arceſſam, unde ſolent, qui rapidiſſimos ſiderum ſcrutantur motûs, & ab oriente, in meridianum ſuum, noviſſimèq; ad occaſum usq; ponunt calculos ac diſtingvunt; ſic ad Natalium ordines, per reliqva, gradu parili tendendum eſt. Sive patrios æſtimare lares, ſive familiæ ſplendorem contueri malit qvispiam; exqviſitæ gloriæ, nullibi non argumenta deprehendat. Patriam laudare tamen, illi eqvidem inſtituant, qvibus exilior ad diſſerendum materies, aut otij iſtud copia permittit. Viderint Hiſtorici Geographiq; interim, nunqvid illuſtre Hermundurorũ, ac nunc Myſorum caput, eâ verborum depingere grandiloqventia, qvam ſupergreſſa dudum

eſt,

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-90106-p0008-0

eſt, & digniſſimè meretur, valeant? Fuerit Pomponio glorioſum, urbem dominam habere matrem; non vel pudere, vel pœnitere Excellentiſſimum SENATOREM Dresdæ poteſt. Habet profectò iſta, qvibus ad invidiam usq; eminet. Qvot enim ELECTORES, Principes, Heroas, aliaq; non patriæ duntaxat, ſed Europæi orbis lumina columinaq; dedit? ſuſcepit eadem OPPELIUM, anno videlicet ſupra qvintum decimum, à nato Servatore ſeculum, nonageſimo & qvarto, XII. Kalendas Qvinctiles; qvâ, ſi ephemeridum replicemus annales, vix fauſtior lux altera apparuerit.

Gente oriundus nobili & antiqvâ, DöRLERIORUM videlicet, KIRCHHAINIORUM, NEFIORUM, HANFSTENGELIORũ & ORNITHOCEPHALÆA, in NEUKIRCH, fuit. Cetera de genere hoc, nõ minùs eximia ac glorioſa proſtant: redigendus tamẽ in capita ſermo, & prætermiſsis ſuperfluis, attingendus ſaltem Nobiliſſimus Genitor eſt. Hunc enim DAVIDEM in Silberſtraß & Culmen/ clariſſimæ ac generoſæ in Sileſiâ familiæ: matrem habuit CRACOVIAM, ex VALERIO CRACOVIO in Zſeckvviz, Magnifico domûs Pomeranicæ Viro, & qvi Divo AUGUSTO SEPTEMVIRO, à conſilijs qvondam ac ſecretis intimis extiterat. His originibus prognatus NOSTER, liqvidum nobilitatis fontem, egregio pietatis & virtutũ acceſſu, per plurimos ſic multiplicavit rivos; ut in uberrimæ admirationis flumen brevi exundarent poſteà. Ineſt nimirum arcana qvædam aqvis nonnullis, & ad ſanitatem vis efficax, qvæ ut in partes ſe diffundant & procurrant longiùs; retinent primigenium ſaporem tamen, & adverſus admixtiones qvasvis ſervant illibatum. Fallor? an in OPPELIO jam â pueris, idem Parentes optimi obſervaverunt? De Pomponio ſuo, ſcriptor politiſſimus: *erat*, inqvit, *in puero, præter docilitatem ingenij, ſumma ſvavitas oris ac vocis, ut non ſolùm celeriter arriperet, qvæ tradebantur, ſed etiam excellenter pronunciaret. Qvâ ex re, in pueritia, nobilis inter æqvales ferebatur, clariùsqve exſplendeſcebat, qvàm generoſi condiſcipuli animo æqvo ferre poſſent.* De OPPELIO, Auditores, non mi-

nori

nori veritate, gloriâ majore verò affirmari poteſt, qvòd ingenti contentione animorum, probitatis & honeſta morum inſtituta, cùm vix fari didiciſſet, fuerit edoctus. Qvæ namq; DEUM immortalem! nobiliſsimæ indoli docilitas? qvis ardor ad literas inſtantiſſimè tractandas inerat? Acceſſit informatorũ vigil & non infidelis opera, qvæ laudabiliſſimos conatûs fulciit adeò ac roboravit, ut in puero adoleſcens, in adoleſcente vir; breviter in omnibus, ſupra ætatis debita, ingenium accuratisſimæ bonitatis appareret. Gliſcebant jam tum annis viridioribus diviniores ignes, in flammam abituri olim: citiùs cum eo virtus qvàm ætas adoleverat, Nec vagus nec præcox altiora ſectabatur. Humilis animi eſſe, & ad terram ſuam proni exiſtimabat, huc illuc rapi ſine ordine, ac errare velut; ſuperbi verò, & ut planisſimè rem eloqvar, inepti, ad ea, ſine gradu, tranſilire ſtudia, quæ loqvendi ornatiùs & ſcribendi fundamentis innituntur? qvantò prudentior OPPELI9 ad humaniores illas ac mitiores (ſine qvibus corruit omnis, qvantacunq; ſuperſtruitur, ſcientiarum moles) caſtæ latinitatis artes, appulit animum ac expolivit. Erat profectò annis illis, qvi lingvarum (Romanæ inprimis) Lumina orbi admirabilia fecerunt, felicius longè ac virilius, ut ſic loqvar, ævum; qvàm hâc qvidem tempeſtate, ubi & frigent & ſordent humaniora plurimis. Qvotusqvisqve enim, ex millibus iſthæc, eo amplius labore, eâ tractat dignitate, qvam præ reliqvis hæ ſibi Muſæ depoſcebant? Alieni longè, & non compares profectò innocentiæ avitæ, ſeculi noſtratis mores; ſanctior omninò mens ac ſapientior inerat OPPELIO: qvæ antiqvam tundere incudem aſſolebat. Hac ratione, Academico commiſſus cœlo, Jenam primò, mox Lipſiam, & poſteà Wittebergam, literarum gratiâ conceſſit: haud minor Attico, qvi ut ſtudijs obſeqveretur ſuis, Athenas ſeſe contulit. Qvid? qvod tantò major NOSTER, qvantò plurium ille ὄςεα καὶ νόον ἔγνω. Largiamur ſuam Athenis & gloriam & famam; ecqvalis nunc ampliùs aut ubi eſt? abijt, perijt, evanuit. Auguſtiora certè noſtra & diviniora longè, paganis iſtis Muſarum domicilijs. Haud exprimi

verbis

verbis, Auditores, poteſt; qvantam in literis melioribus aſſiduitatem, in converſatione modeſtiam, in vitâ victuq; temperantiam, per ipſum ſeptennium, qvó civem Academijs ille dedit, ſecutus pariter & teſtatus fuerit. Aderat ætatis flos, qvi tum ſponte ad peregrinandi ſtudia, tùm imprimis hortatu Genitoris optimi, JOHANNEM invitaverat GEORGIUM: non ut moveret loco ſe, ſed promoveret. Haud patitur anguſtos ſcilicet auguſta virtus limites; ſed ſolem imitata, univerſum pervagari orbem geſtit. O qvàm pulchra res eſt, alieno ſidere calentes, non ſine fructu adiiſſe terras, rerum gerundarum didiciſſe nervos, dignos laude mores obſervaſſe, & naturam, qvæ pro ingenio locorum varias paſſim oſtentat dotes, curioſiùs luſtraſſe! Hoc tum animo Gröningam adijt, inde Lugdunum, illud Batavorum ſalubritate, ſplendore, ac celebritate, princeps decus. Hîc qvâm nobiles, in lingvis, juriumq; ſtudio progreſsûs fecerit; ulterior docuit peregrinatio. Inglorium nimis videbatur, non omnes Belgij provincias interviſiſſe: inſtitit proinde cæptis, & poſtqvàm freqventaſſet ſingulas, in Angliam, hoc eſt, delicatum & literis excellentiſſimum tranſivit regnum: poſteaq; Gallias acceſſit: non ut vanitatis, mutabilisq; in horas ſive levitatis, ſive novitatis, & luxuriæ inſtrumenta reportaret inde: ſed verò ut politiſſimæ gentis indolem, ut mores ritusq; laudabiliores, ut arcana ſtatûs addiſceret pleniùs, atq; exemplo doceret olim ſuo. Fecit enimverò jam pridem ſibi propriam hanc laudem Gallia, ut in moderandâ ſolerter feliciterq; republica, non alteri facilè Regno Imperiové ſecundas largiatur. Hic RICHELII qvondam, hic MAZARINI: & communem, & ſuam ingenio ſupergreſſa ſortem, miracula. Qvid non conſiliorum ac prudentiæ civilis imbibiſſe, AUDITORES, opinamini, in tàm glorioſa regundi excellenter ſtatûs officinâ? Pomponium Athenæ celebrent; OPPELIUM Germania, Batavia, Anglia, Galliâq; cum Helvetiâ novit, celebrat, miratur. Helvetia inqvam; qvam ille reverſurus in patriam, peragravit qvoq;, &, ut ſtudia conſummaret ſua, Baſileæ aliqvandiu ſubſtitit. Sic enim viſum Pa-

renti optimo fuerat, ut, qvam natura nobilitatem conceſſiſſet, augeret arte ac expoliret. Qvid autem eſt aliud ſuprema literarum amplitudo, qvàm vera, & certiſſimo innixa fundamento nobilitas? Corporis qvædam dos æſtimari debet, ſangvine nobilitatum eſſe: illa, qvæ ex virtute ſurgit, nobilioremq; hominis ſeqvitur partem, dignior nobilitas habenda. Fecit igitur, qvod dederat in mandatis Genitor, ſolemniq; & ritu & applauſu, ante qvadraginta ipſos annos, Jurium creatus Doctor ac renunciatus fuit. Numeret inter ſuas ſeculum ſuperius felicitates, ex Eqveſtri ordine Doctores, *Staupitium, Ambsdorffium, Colditium, Beuſtium, Duethlebenium, Denſtedium*, arte pariter & Marte nobilitatos animos; habet & noſtra, qvo micare poteſt, ætas, præter alios, in HöEO & OPPELIO, avitas laudes. Cedamus commendaſſe Atticum ſermonis latialis ſvavitatem, leporemqve, qvendam fluentem ac nativum. In SENATORE noſtro certè non Germana ſolummodò majeſtas loqvebatur, ſed gravitas Romana qvoqve, ac præter Anglicam Batavamqve lingvam, deliciæ inprimis Gallicæ ſe exerebant. Reſtabant adhuc principes Imperij viſendæ urbes: qvas ubi perluſtraverat, ſalvus & incolumis patrio reſtitutus municipio [Culmæ nimirum] eſt. Vix delaſſatas, ex itinere tam longo, vires recollegerat, cùm ab Illuſtri Generoſiſſimoqve Domino, DN. HENRICO SENIORE, RUTHENICÆ proſapiæ, Domino à Plauen &c. &c. in adminiſtrationem regiminis, Geram vocaretur. Noluit ſpartæ adeò præſtanti ſubtrahere ſe; tùm quòd auctoritatem invitantis, in Imperio Romano maximam ſubvereretur; tùm qvòd Nobiliſſimo Parenti propior exiſtens, & levamento eſſe, & ſolatio poſſet. Fortè ſub id tempus, belli fomites, motuum magnorum, prodromi gliſcebant, qvi ex Saxoniâ inferiore orti, diuturnum, ſuperiori Circulo incendium minabantur. Et non parum formidabiles igniculi hinc inde volitantes, iſtam qvoq; corripuerant Dynaſtiam, qvam ut ſartam tectamq; patrius tueretur Heros, freqventi munere legationum, nunc Imperatoriæ, nunc Electorum Principumq; aulis adhibuerat OPPELIUM. Sereniſſimus

mus

mus inprimis Saxoniæ ELECTOR, Divus JOH. GEORG. I. ad qvem miſſus haud infreqventer fuit, conſvetudine ipſius ac virtutibus impenſiùs delectabatur. Cujus qvanta vis gratiæ extiterit, brevi poſtea eſt cognitum. Lectus enim vocatusqve ad conſilia Aulica & dicundo juri Senator, munus excellentiſſimum repudiare noluit; præſertim cùm & clementiam tanti Principis, & arcana Numinis arbitria miraretur. Qvam ille nobiliſſimam provinciam, ad octennium ipſum, eâ fide, eâqve geſſit gloriâ, ut multò jam dignisſimus appareret, qvi ad ſublimiores promoveretur ſedes. Erat ipſi qvippe ignea qvædam animi virtus, qvæ eruebat abdita, & qvocunq; rerum ſe verterent momenta, paſſu feliciore ſeqvebatur. Nolebat tamen, qvod vel maximè callebat, intelligere: igitur cogendus erat: ceu de Trajano ſuo, egregius Orator loqvitur. Anno ſuprà triceſimū, ſeptimo, Intimis in Conſilio ſanctiore Senatoribus, ad imperium DOMINI magis, qvàm ſuo qvodā beneplacito, collega datus eſt. Deprecabatur tàm ardua primùm, & pro eâ, qvâ erat incredibili modeſtiâ, non labores qvidem, ſed momenta illa (qvæ ingentibus obnoxia excuſationibus ſunt) reformidabat. Sed nec qvicqvam optata valuêre. Intellexerat nimirum potentiſſimus PRINCEPS, excelſi Spiritûs humiliores juſto preces eſſe, qvotqvot Vir ſapiens obtendere rationes trepidè niteretur. Obtemperavit itaqve; & cùm antehac ſacratioribus adjungeretur iſtis, non perfunctoriè initiatus, moderando ſtatui cooptatus ſymmyſta fuit. Affligebatur ultra fidem patria tùm temporis, & cadaveroſam vicinæ regiones faciem, Germaniâ ipſâmet tantùm non agente animam, repræſentabant. Tali tempore, tantis rebus, tot malis vel amoliendis vel mitigandis tamen, inter alios, Adjutor OPPELIUS qvæſitus eſt.

De Pomponio Attico, nobilis autor: *neq;*, inqvit, *ſe civilibus fluctibus committebat, qvòd non magis eos, in ſuâ poteſtate exiſtimabat eſſe, qvi ſe ijs dediſſent, qvàm qvi maritimis jactarentur. Honores non petiit, cùm ei paterent, propter vel gratiam, vel digni-*

tatem. Multorum Conſulum Prætorumq́; præfecturas delatas ſic accepit, ut neminem in provinciam ſit ſecutus: honore fuerit contentus. Hæc tum Romæ Atticus: ſed nec Athenis minùs glorioſa fecit. Hìc enim ſic ſe gerebat, *ut communis infimis, par principibus videretur. Qvamdiu affuit, ne qva ſibi ſtatua poneretur, reſtitit; abſens prohibere non potuit.* Aut ego totus fallor, *Auditores*, aut majora longè excellentisſimus SENATOR præſtitit. Nolo repetere inſignem in oblatis honoribus modeſtiam, ambitus omnis ac inſolentiæ defectum, aut coacta munera referre; niſi in eo NOSTER peccaverit fortasſis, qvòd afflictisſimo publicæ rei ſtatui deeſſe noluit; cùm ea veritus pericula Pomponius, tempore civilis belli, qvod inter Marium, Syllam, Cinnamq́ve, ac poſteà Pompejum inter & Cæſarem gerebatur, civilibus ſe fluctibus iſtis committere voluit haudqvaqvàm. Si laudabilior nauclerus eſt, qvi conſtitutam in extremis & jam demergendam liberat ab interitu navim ac gubernat, qvàm qvi perituram è vicino videns littore, cùm juvare posſit, horret tamen, ac adire metuit; multis profectò anteponendus paraſangis Attico OPPELIUS videtur. Qvanqvàm has & ſimiles ex merito tributas averſabatur, dum in vivis eſſet, laudes: nunc autem ubi morte velut abſens eſt honoris ſibi ſtatuam à nobis poni, ecqvomodo vetabit? Hic, hic eſt qvi nunc has, nunc illas, medio tumultuan-
A. cIↄ.Iↄc. XXXI. te Marte, obijt legationes. Plaviam Orator misſus erat, ut inter Svevicos Franconicosq́; ordines, amicitiæ ſanctioris jura ſtabiliret. Vix reverſus domũ, cum Proceribus Collegis, Francofurtum, qvod Mœnus alluit, rerum cum Evangelicorum & Catholicorum Statibus componendarum causâ, mandabatur. Qvæ tantiſper etiam molimina, donec cruento, ad fatales Lipſiæ campos, prælio pax interverſa omnis ac eluſa fuit, geſſerat. Ita comparatum ſcilicet cum humanis eſt, qvæ plerumqve, dum colligere ſe, aut erigere laborant, qvantò ſe cautiùs à periculis ſubducunt,
A. cIↄ.Iↄc. XXXIV. tantò illa in ſe cumulatiora trahunt. Vix triennio elapſo inde, ubi exacerbatos ad bellorum ancipitia ſenſit animos Divus ELECTOR, meliora, propter patriam ſecutus, conventui Leu-

tome-

tomeritiano intereſſe OPPELIUM, ut cum FERDINANDO II. Aug. Imp. Auſtriacâq; Archiducali Domo, neceſſitudo arctior benigniorqve pangeretur, voluit. Eo ipſo tempore Bannerius, ſupremus Svecicorum Ductor, hâc fini Leutomeritium adorſus, ne ad amabilem omnibus concordiam deduci conſilia ſineret, periculo ingenti Legatum nobiliſſimum, ad Pirnam usq; , implicuerat. Hîc igitur ad tempus hærens, nihil non tentavit, qvod tranſigendo fœderi ac maturando inſervire poſſet. Trahebatur op9 tamen, injiciente forſan obices, funeſtâ illâ ad Nördlingam ſtrage: remiſſus cum Collegis itaq; ad exercitum Cæſa- A.cIↄ.Iↄc.
reum hoſtilem adhuc, ut Gradivi impotens exarmaretur fervor, XXXV.
Magnificus Senator eſt. Et jam velut ab inferis reſpirare Saxonia videbatur: tanta univerſorum & lætitia & gratulatio ſecuta qvidem fuit. Nec moras domi ſuæ, qvam ſalutaverat modò, facere: qvin illicò cùm excellentiſſimis comitibus, qvos tum inter Illuſtris ac Summus VIR, DN. ABRAHAMUS à SEBOTTENDORFF, [qvem nominaſſe, plus eſt, qvàm de alijs ſarcinaſſe commentarios] proficiſci Pragam, ad reaſſumenda pacis orſa, tenebatur. Hâc ille expeditione, ad vota feliciſſimè eſt functus. Ut enim rem accurat qvisqve ſuam, ſic ei etiam procedit. Anno vertente deinceps, PATRIÆ A.cIↄ.Iↄc.
PATRI, per campos Magdeburgicos ac Megapolitanos, obſe- XXXVI.
qvio non minore, qvàm difficultate, in caſtris aliqvandiu affuit. Tum ad ſvetas [his qvippe deſtinatus à natura, & fato qvodam A. cIↄ.Iↄc.
ſuo erat] legationes regredi, Synodoq; qvæ inſtituta Calbæ fuerat, XXXIIX.
provinciali intereſſe, ac utrumq;, Luſatiæ Marchionatũ, ex Pragenſi fœdere, in proemium navati belli, cum ditionibus aliqvot annexis tradendum, præſtitâ antehâc ſolenni pietatis fideiq; formulâ à ſubditis, accipere.

Nunc, ut ad Titum noſtrum Pomponium Atticum revertamur, qvantum illi, Deum bonum! & decus peperit & ſplendorem, qvòd apud Proceres Romanos, non in conſvetudine ſolummodò, ſed & celebritate verſaretur. Inhiabant ſupremis rerum faſcibus, ad id tempus, poſt Syllanas Cinnanasq; factiones,

 Ma-

Marius, Pompejus Magnus, Cæſar, Brutus & Antonius. Qvorum omniũ qvidem nec conſilia approbârat Atticus, nec facinora imitabatur. Cæterùm cum unoqvoq; horum ſic vixit, ut nec arctiùs alio, nec ſanctiùs uti potuiſſet unqvàm. Marium hoſtem judicatum, opibus adjuvit ſuis, & pecuniâ fugam ſublevavit. Sylla cùm Athenas ex Aſia veniſſet redux, qvamdiu ibi fuit, ſecum habuit Pomponium. *Qvibus rebus* (Nepote noſtro teſte) *factum eſt, ut Sylla nusqvàm eum ab ſe dimitteret. Ciceroni jam inde à condiſcipulatu multò erat conjunctiſſimus. Utebatur intimè etiam Hortenſio, qvi temporibus illis, eloqventiæ tenebat principatum.* Pompejanis partibus, omnia ex ſuâ re familiari dedit: ipſum Pompejum conjunctum minimè offendit. Bruto Italiâ cedenti LLS centum millia muneri miſit. *Profugientes ex urbe, Antonij familiares, qvantum potuit, texit, qvibusq; indiguêre rebus, juvit. Ab Antonio ipſo literis ſubinde colebatur. Neq; his contentus, in affinitatem pervenit Imperatoris Divi Julij, filii: cùm jam ante* (ut egregius Commentator ait) *familiaritatẽ ejus eſſet conſecutus, nullâ re aliâ, qvàm elegantiâ Vitæ, qvâ ceteros ceperat principes civitatis, dignitate pari, fortuna humiliore.* Mittamus ſangvinis neceſſitudinem, & ex virtutibus ſuis æſtimemus animum: erit profectò par hîc qvoq; Attico, OPPELIUS. Qvot enim & notus ipſe & gratus Imperii Heroibus Principibusq; fuit? Qvanti verò habitus ab illis atq; adamatus eſt? Et qvales deniq; Sylla, Cinna, Marius, Antonius cum Bruto juxtà & Caſſio extiterunt? magni ex formidine, licentiâ, civilibusq; turbis. Scenici magis ac imaginarij, qvàm veri legitimiq; Reipublicæ Antiſtites. Alios, alios agnovit veneratusq; Megiſtanas eſt, SENATOR noſter.

Nam qvid ſacratiſſimo majus Imperatore eſſe in his terris
A. ∞ Iↄc. XLV. poteſt? Miſſus igitur Cæſareanæ aulæ jam à multis cognitus annis, ad Auguſtum FERDINAND. III. cùm ampliſſimis Saxoniæ Proceribus eſt, ut acciperentur ſolenni ritu, Bohemiæ, Luſatiæq; feuda. Cogor, ne in immenſum excreſcat ſermo, PATRES Ampliſſimi, omittere ſexcenta alia: qvibus percen-

ſen-

ſendis, diei haud unius ſufficere aqva videbatur. Neq; qvicqvam adhuc dixi tamen, qvemadmodùm cum Illuſtriſsimo Duce LAUENBURGICO ad Sereniſsimum Auſtriæ ARCHIDUCEM, patriæ tutandæ cauſsâ, per medias hoſtium turmas, non ſine diſcrimine ſalutis, eventu tamen auſpicatisſimo evaſerit. A. Ch. M. DC.XLI.
Qvaq; brevi pòſt ratione, ad ſummos rerum Svecicarum arbitros, cùm Comitibus nobilisſimis, & mox ſolus, ad gentis ſuæ immortale decus, LINNARTUM TORSTENSONIUM iverit; Anno
uti & Svecicas inter, & Saxonicas partes, componeretur amicè M DC XLVI.
bellum interim, donec in optatam reqviem, diſſidentes animi huc usqve, coaleſcerent. Tot ille, absqve exemplo ferè, munia, tamqve ſplendida feliciter ſubierat. Sic ergò punctum omne tulit, ac propter patriæ ſecuritatem, deſperatiſſima ſæpiùs experiri ecqvando dubitavit? Mirum haud eſt, cur â Divo IOH. GEORG. I. Clementiſſimo Principe nullis non mactatus honoribus officiisq; fuerit OPPELIUS. Jam enim abſolutum Cameræ moderamen, jam alias excellentiſſimæ dignitatis partes ſeverè inſtanterqve ipſi commiſerat. Cuncta ſiqvidem benè habitura ſeſe, cui tàm ſapiens adeſſet gubernator, credidit. Nec fefellit ſpes: tantâ qvippe curâ, tantâqve munus cenſuale geſſit ſanctitate (camerale enim conſtanter recuſavit) ut à nemine potuiſſet meliùs. His, his ergò paſſibus, ad gloriæ plenitudinem qvotidiè graſſabatur. Qvanqvàm non gloriæ tantùm, ſed ſingularis fati & incomparabilis felicitas eſt, tot defungi ſine ſpiramento, laboribus; tot exanthlare, ſine tædio moleſtias; tot ſine morborum inſultu, ſubire itinera & emetiri ad arbitrium.

Publica commemoravi hactenus, RECTOR MAGNIFICE, ceteriqve AUDIT. SPECTATISSIMI, & commemoravi, ut juſſus eram, breviter: nunc, quæ communia [ſed qvid communia dixi, qvæ propria ſunt?] cum reliqvis mortalium Beatiſſim9 Senator habuit, ne violem promiſſa, qvàm potero, ſuccinctè perſeqvar, pomœrioq; finiam opus. Ad ſacra

Tori

Tori divertendum mihi primò eſt, exponendumq́; qvâ providentiâ Numinis connubiale fœdus, cum MARIA SOPHIA DöRINGIA, ingentis exempli Virgine tum ſanxerit. Qvod ſive â temporis commendandũ diuturnitate ſit: duos & triginta haberemus annos: ſive à concordiâ; (qvæ & primas & ſecundas, & tertias in matrimonio tenet) non alterum temerè invenias tranqvillius; ſive â ſobolis potiùs numeroſitate ducenda felicitas videatur; bis ſenâ beatum prole deprehendemus. Filij prognati inde X, qvorum pars altera (dimidiare enim numerum hunc, Numini placuerat) ad cœlum ſuum, Genitori maximo anticipata redijt: altera ſuperſtes floret vigetqve in Generoſis, ac Nobilisſimis, JOHANNE DAVIDE, Sereniſſimo Saxoniæ Electori, â conſiliis Aulæ & dicundi juris Senatore, (ex qvo cognominem Patri nepotulum gravis ætate vidit Avus) JOHANNE item GEORGIO, ERNESTO, HENRICO GOTTFRIDO, & GEORGIO FRIDERICO, qvi cum nobiliſſimo Filiarum pari, EUPHROSYNA MARIA & DOROTHEA SOPHIA, ordinis Virginei Smaragdis, (id enim illæ illi ſunt, qvod annulo, hæc gemma,) luctu ſupremo & honore, Venerabiles exeqvias Parentis, ad dormitorium condecorârunt ſuum. Sic iterum Attico major beatiorq́; JOH. GEORG. eſt: qvi pro unâ Atticâ, duodecim divinâ benedictione liberos ſuſcepit. Demus porrò hanc Pomponio, ex jure meritorum, gloriam, *qvòd, qvicqvid rogabatur, religioſè promiſerit præſtiteritq́;*: dicamus probum, liberalem, temperantem, virtutisqve ſtudioſum adeò, *ut nec diceret mendacium, nec pateretur*. Singula hæc AUDIT. atqve Univerſa OPPELIO, meliore tribui encomio valebunt. Qvotus-enim qvisqve eo facilè liberalior, erga opis ſuæ indigentes? aut devotior erga DEUM, verbiq́; Adminiſtros? aut erga Collegas moderatior? vel temperantior in vitâ vixit? qvantacunqve prædicetur, pagana certè, ideſt, umbrabilis religio vitæ, Pomponio & jam ante Ariſtidi Catoniqve fuit. Illa, illa vera demeren-

demerendi ratio, qvam Chriſtiana inſtruit pietas, exornat fides, & his omnibus divinior abſolvit exitus. Dolet adhuc Senatus ſanctior Collegam ablatum optimum: lugent acerbiſſimè cum matre Viduâ, Maritum parentemq; amiſſum *liberi*: ſubditi ipſimet ademptũ triſti revocare leſſu ſtudent. Sed qvò me rapit æſtus? ut qvi ad ultima, qvæq; his aliqvandiu præluſerunt, venire deſtinabam. Erat per ſingularem Numinis favorem, eo corporis valetudinisq; habitu JOH. GEORGIUS, ut inter tot ardua negotiorum, propitiâ ſemper ac conſtanti ſanitate uteretur; qvi ſupra ætatem rarâ felicitate, vigor, in Sene etiã durârat, usq; dum III. Id. Novemb. anno ſeculi hujus, ſupra qvinqvageſimum, qvinto, eodem ipſo die, qvi Viri maximi & Incomparabilis, FRIDERICI METSCHII pijs Manibus cohoneſtandis ſacer fuit, catarrho qvodam apoplectico tantoperè impeteretur, ut exeqviali ereptus pompæ, deducendus domum eſſet. Urebat generoſum pectus, mors Amicorum intimi, & conjunctiſſimi Collegæ. Medicâ tamen arte mitigatum malum, & eò ventum erat, ut & in Conſilio ſanctiore, ad ſvetas operas rediret NOSTER, & cenſualibus negotijs, nec non conventibus Lipſiæ inſtitutis [pro eâ, qvâ erat, aſſiduitate] intereſſet operoſus. Sed qvemadmodùm ſol ille, qvem oculis qvotidiè uſurpamus, nunqvàm pulchrior celeriorvè adapparet, qvàm cum caſurus eſt; ſic in ijs, qvorum veneratio ſolis ad inſtar, terrarum longisſimè pervagabatur ſpacia, nihil magis, qvàm extremum, qvanqvàm mœſtos, voluptate ſolidâ perſundit. Hâc pulcherrimâ fide, hàc curâ, commisſis adeò invigilavit partibus, ut non ſubtraheret oneri manum ante, qvàm fatalem imminere terminum, menſe tertio nimirum præcedente divinaret. Tum igitur abdicare animum mortalibus & ætatis petere vacationem, ut hìc qvoq; Pomponij imitator haberetur. Exaudiverat cæleſte Numen vota ſupplicis; &, cùm paucis ſeptimanis antea ſacro, animam peccatis emundatam, epulo refeciſſet, poſtridiè Idûs Junij ad decretoria, brevi moriturum, ſtrata deſtinaverat. Animadverſum palàm eſt, qvid ſperandum brevi foret. At ille, qvàm benè ageret, â circumſtantibus qvæſitus?

 tàm

eàm optimè, reſpondit, qvàm vix hactenus. Jam enim æternitatis (qvis verò dubitet?) prægustum ſenſerat Vir ſanctiſſimus. Intereà ne tùm qvidem exqviſitiſſimæ virtutis medicamina non adhibebantur corpori; nihil effectura tamen, qvoniam caſtiſſimæ geniorum phalanges, mole ſuâ mox liberandum ſpiritum ad æterna vehere comitia exſpectaverunt. Qvem ille diſceſſum ut ſubiret præparatus, JESUM vitæ mortisqve Dominum & antea ſæpiùs & tunc maximè, ad auxiliandum ardenter invocavit. Tredecimo Kalendas Qvinctileis, ſub diluculum ipſum matutinum, ſermo eum & valetudo defecerat omnis. Inde leni placidoqve ſomno velut datus, acqvieviſſe viſus eſt tantiſper, dum tempus, qvo in medium ferè ſuũ dies ire ſolet, unicâ exceptâ luce, LXVII annorum ſenem, ævo tradidit; qvod, qvoniam nec viſum â nobis, nec auditum eſt, incomprehenſibile dicemus. Et ſic hâc qvoqve ratione vel comparari, vel anteponi certe Attico promeruit. Hic qvippe *tantâ vocis vultusq; conſtantiâ ſeptimo, ultra ſeptuageſimum, anno obijt, ut non ex vitâ, ſed ex domo in domum migrare videretur*: decennio felicior OPPELIO; ſi tamen felicitas eſt, diutiùs excruciari. Qvin beatior modis infinitis Beatiſſimus SENATOR, qvantum & inter mori intereſt, & dormire; inter jacturam animæ, & ſalutem. Sileant igitur, ſileant admiratores Attici: vixit in OPPELIO Pomponius, atq; hoc ſublimior longè diviniorq; Spiritus. Et qvanta noſtrorũ ſeculorum labes foret; ſi priſtina tantùm extolleremus, recentium incurioſiores. Vixerint inſuper Fabricij Papirijqve, Romanos inter qvondam; vivit, vivetq;, cedris jam inſcripta dudum gloria OPPELII. Loqvatur Dresda, dicat Saxonia, Imperium Romanum ipſum, HEROIS Noſtri & fateatur merita, & deprædicet. Sed verò facit, & qvem amiſit Virum, ingeminat ſubinde ac mœrore colit At ille gaudiorum ſatur, in eo nunc faſtigio verſatur, ubi nec viciſſitudini locus, nec periculo eſſe poteſt.

Ille DEum vitam accipiet, divisq; videbit
Permiſtos Heroas, & ipſe videbitur illis.

Age fruere his delicijs, fruere anima ſanctiſſima! Vive DEO, vive cœlo, vive angelis collegis! Vivet apud nos qvoq; fama, virtus, fides, pietasq; Tui: qvam nec temporum edacitas conſumet, nec obliterabit temerè ingratitudo.

D I X I.

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-90106-p0020-6

CASTRUM DOLORIS
S.
LUCTUS TESTIMONIUM,
MEMORIÆ,
FAMÆ,
MERITIS,

ILLUSTRIS, GENEROSI ET MAGNIFICI

DOMINI

JOHANNIS GEORGII
AB OPPEL,

IN LOMNIZ, GOSDA, SUPERIORI ET INFERIORI LICHTENAU, LAMPERS- AC VVELLERSVVALDE TOPARCHÆ, JCTI, COMITIS PALAT. CÆSAR. ET S. ROM. IMPER. EXEMTI, SERENISS. PRINC. ELECT. SAXON. CONSILIARII INTIMI, ET REI CENSUARIÆ PRÆFECTI,

VIRI,

QVA HOMINI DATUM EST, UNDIQVE

SUMMI,

POST BEAT. IPSIUS ANALYS.

IPSO HUMAT. DIE VII M. QVINTIL.

A. O. R.

CIƆ IƆ C LXI.

SUBMISSE SIMUL AC REVERENTER ERECTUM,

PIEQ. CONSECRATUM

A

DOLENTIBUS.

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-90106-p0021-2

WAnn Leipzig läſt die Hülſemänner ſterben /
Und Wittenberg die Edlen Buchner gehn /
Und Dreßden ſieht die Oppel tod da ſtehn /
So muß das Land empfinden ein Verderben.
Denn das Gebeth: die Lehre: Rath und That
Erkieſen ſo weit einen andern Pfad.
Das GOttes-Hauß entblößet ſich der Wände:
Die Redner-Kunſt / ſampt ihrer Poeſie /
Steht nun entkernt und ohne Lorber hie:
Der höchſte Raht umbwindet itzt die Hände /
Und klaget heut uns einen ſolchen Mann /
Den nicht ſo bald der Himmel geben kan.
Sein hoher Ruhm wird kaum erreichet werden /
Die Vor-Zeit weiß / wie Er das Vaterland
(Als es die Gluth des Krieges angerannt)
So klüglich hat gehoben von der Erden /
Wenn Er durch Glimff den wilden Muth zerbrach /
Und auff Befehl dem Feinde wiederſprach.
Der grüne Strand der Elbe / Saal und Pleiſſe 1613.
Hat Jhn alſo mit Tugend ausgeziert /
Daß Er daher auch endlich wurd entführt /
Und angereitzt zu einem beſſern Fleiſſe.
Geſtehe mir / O Holland / rund und frey / 1619.
Ob nicht dein Ruhm durch Jhn erweitert ſey?
Wo ruht ein Schiff mit ſeinen theuern Waaren /
Wenn es zur See dieſelben überbringt?
Ein tapffrer Geiſt dem alles wohl gelingt /
Muß mehr / als das / wornach er ſtrebt / erfahren;
Drumb küſſet er auch ferner deine Hand /
O Albion / und / Franckreich deinen Strand. 1620.
Ein Edles Roß / das einen Zunder fühlet /

Sucht

Sucht immerdar das Kleinod ſeiner Pracht.
Daher hat Er ſich durch die Schweitz gemacht/ 1621.
Und auff den Zweck/ den Er gewolt/ gezielet.
Sein Baſel nahm Jhn voller Freuden ein/
Und ließ Jhm ſtracks das Haar bepurpert ſeyn/
    Das Vaterland ſchloß Jhn mit allen Treuen
Jn ſeinen Arm und bot Jhm einen Kuß. 1622
Uud wie man es aus Liebe ſuchen muß:
So ging Er auch ſein Beſtes auszuſtreuen.
Alda hat Er/ O Reuſſe/ Dir gethan/ 1623.
Was Dich noch itzt mit Nutze krönen kan.
    Ein Demant liegt zwar offtermals verborgen/
Doch ſtrahlet er ſein Feuer durch die Nacht:
Kaum war Er hier der Raute zugebracht/ 1629.
Da ſtund Er vor den allergröſten Sorgen.
Wen Käyſer: Chur: und Fürſten nehmen ein/
Muß warlich nicht von ſchlechter Erde ſeyn.
    Geſteht es mir/ ihr ungebückten Seelen!
Was dieſer Mann ſo gnügſam ausgericht
(Wenn Mars das Schwerdt auff unſer Angeſicht
Geſtrecket hat) iſt hier kaum zuerzehlen.
Bekenne mir/ O Plauen/ ſeinen Rath/ 1631.
Und/ Franckfurt/ du was Er in Dir auch that.
    Durch Jhm wurd erſt der Anſtand grimmer Waffen/
Zu Leitmaritz und Laun heraus gebracht. 1634.
Zu Prag hat Er den Frieden mit gemacht/ 1635
Und halff zugleich die Lauſitz uns verſchaffen.
Wo unſer Held ſich ſtets zu Felde fand/ 1636
Wacht Er mit Jhm ſtets auff ſein Vaterland.
    Je mehr ein Stern der Sonne näher kömmet/
Je mehr empfängt er von ihr Glantz und Schein:
Der tapffre Mann muſt auch erhöhet ſeyn/
Weil Thun und Witz ſo lieblich eingeſtimmet.
Der Tugend Lohn wurd im Geheimen Rath, 1637.

Ihm zuerkant/ weil Er ſo weißlich that.
Als Er viel guts zu Kalba hat gepflantzet/
Holt Er die Lehn von unſerm Keyſer ein. 1638.
Drauff muſt Er bald in Dir/ O Halla/ ſeyn/
Da hat Er/ Held Auguſt/ dein Lob umbſchantzet/
Und/ wie es Dir Hoch-Fürſtlich hat gebührt/
Zum Biſchoff Dich mit andern eingeführt.
Wer Edel iſt/ der kan nicht ſtille ſtehen/
Er ahnet ſtets dem rundten Himmel nach:
Er höret an/ was Leopoldus ſprach/ 1641.
Als wieder Er nach Eger muſte gehen.
Er ſcheute nicht Gefährligkeit und Ort.
Denn ſein Beruff war Ihm ein ſichrer Port.
Was ſoll ich auch von ſeiner Auffſicht ſagen?
Als Er das Wort den Schweden zugebracht. 1645.
Da wo das Land vom guten Weine lacht/
Hat/ Königsmarck/ er Dir es zugetragen.
Durch ſeinen Fleiß hielt er die Waffen ein/ 1646.
Daß unſer Feld in Friede konte ſeyn.
Wer ſeinem GOtt und Herren treu verbleibet/
Und in der Welt wird alles Seegens voll/
Thut allezeit/ was ſein Gewiſſen ſoll/
Der wird ie mehr der Hoheit einverleibet:
Drumb wurd Er auch der Steuer vorgeſetzt/ 1649
Bey der Er noch manch armes Hertz ergetzt.
Sein Ruhm iſt groß. Sein Adel gleicht der Erden/
Die manchen Stamm zu ihrer Würde zielt.
Wo Wiſſenſchafft mit klugen Sinnen ſpielt/
Da muß ein Gold aus ihrer Feine werden.
Auffrichtigkeit/ die alles hat und kan/
Die ſpricht zu letzt: Diß war ein tapffrer Mann.
Der iſt Er auch. Er lebt in ſeinen Kindern.
Er lebt durch ſich in ſeiner Ewigkeit.
Kein Mahl der Flucht wird ſeine ſchöne Zeit

Bey uns alhier/ und anderswo/ verhindern.
Wer wegen GOtt mit GOtt nach GOtte wirbt/
Und endlich geht/ der ſtirbt nicht/ wenn er ſtirbt.
GOtt gebe Troſt/ die ſich umb Ihn betrüben!
Und/ Leipzig/ dir/ noch einen Hülſeman/
Und/ Wittenberg/ Dir/ was ein Buchner kan/
Und/ Dreßden/ Dir/ den Oppel/ deinen Lieben/
So wird Troſt: Lehr: und Rath und That beſtehn/
Und unſer Land auff Roſen wiedergehn.

David Schirmer/ Churfürſtl.
Sächſ. Bibliothecar.

WO die Unſterbligkeit ſchon iſt gegründt im Leben/
Darff man im Tode nicht Pyramides erheben.
Die Arbeit iſt umbſonſt. Zumal wann es geſchicht
Von Leuten/ denen Kunſt und Geiſt hierzu gebricht.
Es hat in Griechenland das beſte Volck der Weiſen
Zu ſchwach ſich ſelbſt eracht der Helden Lob zupreiſen.
Homerus muſt es thun. Kein Römer war ſo kühn
In das Eliſer-Feld/ wo Helden ſind/ zuziehn/
Als Maro/ welcher hat nach vielen Kriegs Getümmel/
Mit dem Æneas ſich erhoben in den Himmel.
Jedoch darff weder Rom noch Griechenland erhöhn
Das Lob / das ohne diß kan nimmermehr vergehn/
Das ein verdienter Mann/ ob er zwar iſt verſtorben/
Durch ſeiner Tugend Glantz im Leben hat erworben/
Und das ſchon ewig iſt. Schreibt es gleich niemand auff/
Bleibt es doch ausgebreit durch aller Zeiten Lauff.
Wer wolte demnach ſich anitzo unterfangen/
Das hoch verdiente Lob/ der Thaten Zier und Prangen/
Die Hoheit des Verſtands/ des grauen Alters Ehr/
Der Aembter Würdigkeit/ den Adel und was mehr
Berühmt und Edel macht; Wer wolte dieſe Gaben/

O Groſſer

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-90106-p0025-4

O Groſſer OPPEL / die Dich ſchon erhoben haben /
Mit Worten zu erhöhn / die darzu gar zu klein
Und zu vergänglich ſind / ſo unbedachtſam ſeyn?
Es würde Xenophon die Feder nieder legen;
Es lies ſich kaum hierzu Herodotus bewegen;
So weit ſich Livius in Schrifften ſonſt erſtreckt /
Der nichts / was löblich iſt geſchehen / hat verſteckt;
So hoch ſich Tacitus / bevor in klugen Lehren /
Die ſonderlich zum Thron und Purpurkleid gehören /
Erwieſen / würden faſt in etwas ſtille ſtehn /
Eh ſie zu dieſem Werck erfordert würden gehn /
Daß ihrer weiſen Hand wär billich zu vertrauen /
Wann ein Gedächtnüßmahl Dir nöthig wär zubauen /
O hochverdienter Mann / O groſſe Zier der Zeit /
Herr OPPEL / deſſen Ruhm umbgrentzt die Ewigkeit.
Ein Hocherleuchter Fürſt / iſt er gleich ſo begüttert
Mit Weißheit und Verſtand / daß jederman erzittert
Für ſeiner Majeſtät / zieht er doch die zu Rath /
Die er / als Väter / ſich zur Hülff erwehlet hat /
Die fromm und redlich ſind / die über alles achten
Die Wohlfarth ſeines Reichs / und dieß mit Fleiß betrachtē /
Es ſey Tag oder Nacht / Fried oder Krieg und Streit /
Und wie ſonſt wechſeln mag der Unbeſtand der Zeit.
Auff dieſes Volck beruht der Fürſten Glück und Ehre /
Der Unterthanen Heyl / nach aller Weiſen Lehre.
Auguſtus hätte nicht ſich unterthan gemacht
Das Reich der gantzen Welt / hätt er nicht viel geacht
Mecenas klugen Rath / und des Agrippa Stärcke /
Worinn beſtanden iſt das Glücke ſeiner Wercke
Und ſeiner Tapfferkeit; Wie Alexanders Krafft
Auch des Epheſtion und Clitus Wiſſenſchafft
So groß und ſtarck gemacht / daß ohne Geiſt und Leben
Sich ihm gantz Aſien und Indien ergeben.
So viel vermag diß Volck. Juſtinianus hat
Durch Billiſarius und Narces treuen Rath

In

In Perſien geſiegt/ in Africa die Wenden/
In Welſchland ſonſt den Feind mit ſiegeriſchen Händen
Bezwungen und erlegt. Was hat er weiter nicht
Durch den Tribonian und andre mehr verricht/
Welchs faſt unmöglich iſt in Waffen und Geſetzen/
Worauff ein Reich beſteht/ für Menſchen Werck zuſchätzen?
Dergleichen weiſer Fürſt/ von Thaten/ Glück und Stand/
Dergleichen weiſes Volck regiert auch unſer Land.
Dann wie das graue Haupt Chur-Sachſens/ deſſen Leben
Du nunmehr biſt gefolgt/ Dir Ehre pflag zugeben/
So hat auch deſſen Sohn/ der ietzt das Chur-Schwerdt trägt/
Dich ebenfalls geehrt/ ob er zwar dieſes pflegt
Auch andern mehr zu thun/ die bey des Vaters Zeiten
Umb Jhn und ſeinen Stamm/ den GOTT noch mehr ausbreiten
Und gröſſer machen wird/ wie Du O Edle Pracht/
Herr OPPEL groſſer Rath/ ſich wohl verdient gemacht.
So hoch Tribonian/ in Rechten und Geſetzen/
Biſt Du/ Herr OPPEL auch zu unſrer Zeit zuſchätzen;
Was Belliſarius und Narces hat verricht/
Das giebt auch deinem Ruhm ein unausleſchlichs Licht;
Du biſt Epheſtion und Clitus ſelbſt geweſen/
Was von Agrippa noch in Schrifften wird geleſen/
Kömt deinem Nahmen zu; Geſtalt das Vaterland
Auch Dich Mecenas nennt an Tugend und Verſtand.
Zur alten Krieges-Zeit/ wann an des Himmels Bogen
Ein Ungewitter hat das gantze Land umbzogen/
Haſt Du ſo helffen ziehn das Ruder/ daß wir nicht
Gantz untergangen ſind/ gleich wie ein Schiff zerbricht
Und auff den wilden Meer/ im harten Sturm zerſchlagen/
Zu Grunde ſincken muß; Biß nach den trüben Tagen
Wir endlich zu den Port des Friedens kommen ſind/
Worfür das Vaterland verbunden ſich befindt

Stets danckbar Dir zu ſeyn. O was für ſchwere Sorgen
Sind/ ſonder Zweiffel/ hier noch in der Welt verborgen/
Die Tag und Nacht/ im Geiſt/ gleich wie die ſchwere Laſt/
Die Atlas Stärcke trägt/ auch Du getragen haſt? (ſen
Wie offt haſt Du durch Blitz/ durch blancke Spieß und Ei-
Des Mavors/ wo er hat gewütet/ müſſen reiſen/
Und ihn mit deinem Geiſt/ mehr als ein Krieges-Held/
Auch mitten in dem Grim̃ zu frieden offt geſtellt?
Welchs hin und her im Reich viel Oerter/ Städt und
Straſſen
Noch ſelbſten ruffen aus. Trompeten müſten blaſſen/
Stets müſt ein Ehrenmahl an dieſen Oertern ſtehn/
Wann es vor Alters wär in einem Krieg geſchehn.
Gleich wie das Sonnenlicht den Nebel kan verjagen/
So hat auch deinen Glantz Gott Mavors nicht vertragen/
Der Wolcken/ Dampff und Rauch/ wohin er ſeinen Fuß
Mit ſeiner Lantze ſetzt/ ſtets umb ſich haben muß/
Und wieder Waffen ſich am beſten weis zuwehren.
Noch einmal ſieht zurück das Vaterland mit Zehren
Auff dieſe raue Zeit/ und ſaget noch einmal
Daß es Dir ſchuldig ſey zu dancken ohne Zahl.
Wendt es zum Frieden ſich der nun darauff iſt kommen/
Und ſieht mit was für Müh Er bißher zugenommen/
Wie Er der Stützen hat bedurfft bald da und hier/
So hört es noch nicht auff im Dancke gegen Dir/
Der Du geholffen haſt und niemals abgelaſſen/
Das ſchwere Friedenswerck im Fall zu unterfaſſen;
Und weil das Teutſche Reich diß überall empfindt
Iſt gantz Europa ſo/ wie unſer Land geſinnt/
Dein Schuldener zu ſeyn. Nicht nur in unſern Grentzen/
Auch auſſer denen muß dein Lob der Tugend gläntzen.
Nicht nur in dieſer That/ ob zwar in ſich enthält
Der Fried ein groſſes Guth; Nicht nur in dieſer Welt/
Da alle Zungen Dich und deine Thaten loben/

Auch

Auch in dem Himmel ſelbſt wird deine Seel erhoben.
So weit haſt Du es nun/ Hoch-Edler Held gebracht
Daß deine Tugend Dich im Tod unſterblich macht.
Drumb weicht und machet Raum/ ihr Helden und ihr Götter/
Die ihr durch Mund und Hand der Sterblichen Erretter
Jemals geweſen ſeyd/ Hier kömt mit Glantz und Schein/
Herr OPPEL/ euer Fürſt/ und nimt den Himmel ein.

Auguſtin Lichtwer.

OPPELIUS Senior, Dictator Juris & Æqvi,
Qvi Patriæ PATRIS SAXONIS os & amor.
Qvem ſolidis ſapiens vel Conſus & aurea Peitho
Conſilijs docuit res animare DUCIS.
Qvem vexit Virtus ad Honorum culmina, qvæ vel
ENSIFERI, vel qvæ CÆSARIS Aula dabat.
Athla Palatini COMITIS, jus urbis avitæ.
Inſigne Aurati Torqvis, Eqveſtre Decus.
OPPELIUS Senior jacet hìc! plorate relicti
Hìc ſimul Ars, Pietas, Svada, Themiſta jacent.
Ploramus. Verùm qvantum ſacra Dogmata verbi
Cœleſtis (norma hæc una ſeqvenda) ſinunt.
Ploramus. Sed qvum ſtatuat ſic dia voluntas,
Qvæ noſtros numerat, limitat atq́ve dies,
Sit modus. OPPELIUS meliori ſede receptus
Inter Cœlicolas gaudia mille tenet.
Non jacet, at vivit, vivetq́ve per omnia ſecla
Ejus Honor, Nomen, Gloria, Nobilitas.
Vivit. Virtutum ſuperat numeroſa propago,
Et meritum ſuperat longa ſatis ſeries.
Vivit & in Scriptis, in NATIS vivet in ævum.
Non moritur, ſibi qvi ſcit genuiſſe pares.
Atq́ve hinc grator Ei vitæ cœleſtis Honores,
Et pia cum ſanctis gaudia Cœlitibus.
Et qvò POSTERITAS Ejus ſic ſplendeat, oro,
Floreat & vireat par in Honore PATRI.

Fiet. Florebunt Nati, ſeriqve Nepotes:

Sanctorum curat pignora Sancta Deus.

Debitæ erga ſummum Virum
obſervantiæ teſtandæ ſcrib.
M Joh. Bohemus,
Rector.

Oppelius moritur : meritis ingentibus Orbi
Notus & inprimis, Patria cara, tibi.
Qvid facere hîc par eſt? muliebres edere planctus
Nil prodeſt : lachrymis non revocatur homo.
Nec moles opus eſt lapidum molirier altas,
Manſura ut tanti ſint monumenta Viri.
Hæc viles animæ curant, qvæ Gloriæ inanes
Veræ, ſic famæ conſuluiſſe volunt.
Hic dudum Ipſe ſibi monumentum grande paravit,
Atqve ipſis hominum mentibus inſeruit,
Hoc conſervemus qvivis pro parte Virili,
Simus & in cineres hac ratione pij.
Optemusqve ſimul, Stirps ut generoſa perennet,
Huic multos ſimiles ſuppeditetqve Viros.

Inſcriptio tumbæ.

hIC. sItVs. oppeLIVs. paX. eXCVbat. ante. sepVLChrVM.
atQVe. OLeÆ. foLIIs. ossa. perVnCta. tegIt.

Teſtando humill. cultui f.
M. Beniamin Stolbergius,
Schol. Dreſd. Con-Rector.

Ad

Nobiliſs. Patronum beatè defunctum.

Eripit è medio Juſtum DEUS ante ruinam
Rerum; qvis Jovæ eſt qvi benè ſpectet opus?
Svaviter in Chriſti reqvieſcens pace ſepulchro
Clauditur, & vitæ triſtia nulla timet.
Te qvoq; PATRONUM, poſt tot tantosq; labores
Ad ſua colligit regna beata DEUS:

Ne

Ne Patriæ cladem, fato minitante, videres,
Et toties læſi juſta flagella DEI.
Eſt hæc vita labor, luctus, mors lucida tandem:
In cælo reqvies, gloria, vita tua eſt.

MELCHIOR Bürger / Paſtor in Lamperswalda.

PLangite PIERIDES, gemebundos pangite leſsûs!
Plangite, (nam Pietas hunc Cultum ſumma reqvirit.)
Et Tu NOBILITAS lugubres indue Veſtes,
Luctiſonisq; Comes plangoribus incluta VIRTUS
Ingeme, RELLIGIO vultûs abſconde ſerenos;
Mœſta FIDES, PROBITASq; novo indulgete dolori;
Nec non funde THEMIS lacrumas pullata, refunde,
PRÆSIDIUM heu! Veſtrum cecidit, ceciditq; Verendum
JUSTITIÆ COLUMEN, SIDUS peramabile Terræ
TEUTONICÆ, OPPELIDES Generosâ ſtirpe creatus:
Qvem DIVES CÆSAR ſummó mactavit honore,
Qvemq; PATER PATRIÆ CELSISSIMUS ENSIFER HEROS,
Ad magnum vexit meritorum culmen honorum.
Scilicet ad Cœlum VIRTUS pernicibus alis.
Suſtulit OPPELIUM, qvâ fulſit ſideris inſtar.
Qvi Patrios juvit belloq; togâq; Penates
Conſiliô, donec lumen vitale videbat.
Ergo DEFUNCTUM mœret jam SAXONIS AULA,
Jam Chorus AONIDUM, CHARITUMq; triformis imago,
Jam fines PATRIÆ longè lateq; patentes
Ingentem luctum rugoſâ fronte fatentur!
Heu! heu! LUMINIBUS TANTIS cur parcere Parca
Neſcit? cur THEMIDOS fortes conſumit ATLANTES?
Heu! nec NOBILIUM VIRTUS, nec pulcra Corona
Hanc placare poteſt; hæc ſtat ſententia fixa:
Regula, qvam ſtatuit cunctis mortalibus, una
Excipit hæc nullum, ſed ſceptra ligonibus æqvat.
Vincere dignus erat Pylium vivacibus annis

OPPELIUS Regem, modò Fata benigna tuliſſent.
Aſt heîc qvid conſtans? qvalis mutatio rerum?
Nam ſi, qvum niteat jam formoſiſſimus Annus,
Reſpicimus varios flores & lilia campi,
Humanæ ſpecies ſortis depicta videtur:
Qvem mihi MAGNIFICUM dederat Fortuna PATRONUM,
Heu! Fuit ILLE mihi, Muſis, alijsq; PATRONUS!
Hinc qvoq; Muſarum pietas & noſtra PATRONO
Juſta referre jubet, qvibus hôc nil juſtius orbe!
Ergò canenda forent TANTO condigna PATRONO,
Aſt opis haut noſtræ eſt tantum præſtare laborem,
Qvem vix perficeret Naſo, vel Vena Maronis.
Luctus plura vetat: comprendam ſingula paucis:
NOBILITATIS HONOS, ROMANI CÆSARIS, ATQVE
ELECTORIS AMOR, PATRIÆq; EXCESSIT ASYLUM,
Relliqva dictabat cedro digniſſima verba
Ipſe Novenſilium Præſes, Ductorq; ſororum:
NOMINIS OPPELII DECUS IMMORTALE VIGEBIT,
DONEC IN ARCE POLI PHOEBUS PHOEBEq; MICABUNT!

Obſervantiæ
& ſupremi honoris monumentum hoc
VIRO SUMMO & INCOMPARABILI
Patrono, heu! olim ſuo, humillimè p.
mæſtiſſimus Cliens
M. JOHANNES Schellenberger / Annæbergâ-Miſnicus.

BEATUS OPPELIUS,
Obitum ſuum deflenteis velut è machina alloquitur.

QVid me ſiderei ſpretâ tellure tenentem
Regna poli, ac cælo tandem meliore receptum
Parte mei, fatum planctu ſentire jubetis?
Parcite: nam callem rectâ mihi fecit in aſtra,
Ipſosq; ad ſuperos duxit me fervida virtus.
Non ego Cocyti ſtagnum illætabile vidi,
Tergeminumq; caput rabidi cuſtodis Averni,
Aut Noctis ſobolem Furias; nec tetricus umbras
Transvexit noſtra furvâ Stygis accola cymbâ. Hæc

Hæc metuenda malis tales metuunto: bonorum
Altera conditio eſt, & ſunt ſua præmia laudi,
Nec bene-factorum qvidqvam interit: orſa ſeqvuntur
Omnia linqventeis veſtræ compendia vitæ.
Qvippe ego qvòd teneris rectum ſectatus ab annis,
Morum, ac Muſarum audivi coluiq; magiſtros
Obſeqviis promtus, qvæq; à doctoribus hauſi.
In commune bonum rebus conferre tetendi,
Et patrio prodeſſe ſolo; qvòd myſta verendæ
Juſtitiæ leges non ſum corrumpere paſſus,
Nec prece, nec pretio, nullisq; affectibus æger
Indulſi, ut privata magis, qvam publica vellem
Articulis conſtare ſuis; qvòd ad Intima lectus
Conſilia, & propiore Duci dignatus adeſſe
Ordine paucorum curamq; fidemq; probavi,
Et puras cum mente manus; qvod utrimq; paratus
Et vitæ, & morti, tinctos pallore miniſtros
Fatorum tempſi minitanteis ultima morbos,
Stansq; mori volui, ac venienti occurrere letho,
Et vitæ mihi geſtæ, & relligionis avitæ
Conſcius, & lucri facti de qvinqve talentis;
Omnia in æterno perſcripta volumine vidi,
Et coram cœli recitari juſſa toparchis.
Inde mihi applauſus, manuumq; effuſa ſacrarum
Præbitio, adq; epulas multa invitatio Divûm
Nectari & ambroſiæ poſthac aſſueſcere ſumto
Inter perpetuæ ſemper nova feſta, diesq;
Lætitiæ. Qvare planctus, lamentaq;, & iſta
Ponite, qvæ numero tantum debentur inerti,
Atq; eat in turpi fœdatos nomine luctus
Aſtra petit virtus; timida eſt ignavia mortis.
Hoc vos exemplo docui; vos porrò docete
O gnati: Servare patris veſtigia pulcrum eſt;
Pulcrius exſerto præcurrere velle vigore.

Qvod

Qvod qvia jam juvenis ſenij virtute minaris,
Johannes David, perge, obſecro : laus tua noſtra
Eſt laudis cumulus, tibi qvi favor omnia ſumma
Deſtinat, eſt meus, & tantum mea gloria creſcet,
In qvantum noſtros tranſcendes victor honores.

J. G. Capoferreus, ſaciebat.

ATlanta pondus cœli humeris ſuis
Portare, qvi ſi deficiat gravi
Sub mole, tùm mundi ruinam
Affore mox, cecinere Vates.
Occumbit Heros, ah Themidis Decus,
Et qvi Paterni ceu columen ſoli
Fulcire communem ſolebat
Robore conſilij ſalutem.
Fata hæc minantur qvid? niſi triſtia,
Horret ruinam Patria proditam,
Deſiderat motis qverelis,
OPPELIUM, revocatqve buſtis.
Aſt Hic Olympi culmina vertice
Dum tangit, ævi perfruitur bonis,
Perſtabit in cœlo repoſtus
Ceu columen Solymæ ſupernæ.

Summis VIRI ſummi honoribus paucula hac adponebat

M. Johannes Thilo.

FINIS.

ULB Halle 3
002 612 380

Pon Zd 1451

TA-06

VD17

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-90106-p0035-0

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-90106-p0036-5

QK. 308
v. Oppel
7

ORATIO ...

ILLUS...

JOHANN... ...IO

OPP...

IN LOMNIZ, GOSDA... ...INFE-
RIORI LICHTENAVIA ... ...RS-
WALDIA &...

CÆSAREI PALATI... ...OM.
EXEMPTO, SERENISS... ...ON-
SILIO SANCT...

REI CENSUAL...

IN ACADEMIA ...
DICTA ...

GEORGIO CASPA... ...RO,
Ora...

MENS...
ANN...

AUDITOR...

Typis JOBI VV...

UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK HALLE (SAALE)
...ECA ...ANA
...51

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-90106-p0037-1